MASTER NEGATIVE NO. 92-81114-4

AUTHOR:

MAASS, ERNST

TITLE:

DE TRIBUS PHILETAE CARMINIBUS

PLACE:

MARPURGI CATTORUM

DATE:

1895

Master Negative #

92-81114-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88P53
DM

Maass, Ernst, 1856- 1929.
De tribus Philetae carminibus, scripsit Ernestus Maass. Marpurgi Cattorum, apud N.G. Elwertum, 1895.
xiv p. 28½ x 22½ cm.

186498

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 15x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-3-93 INITIALS JA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE TRIBUS PHILETAE CARMINIBUS

SCRIPSIT

ERNESTUS MAASS

MARBURGI CATTORUM
APUD N. G. ELWERTUM BIBLIOPOLAM ACADEMICUM
MDCCCXCV

E 'Paegniorum' quae ferebatur PHILETAE sylloga Ioannes Stobaeus eclogarius 'Florilegio' hoc carmen inseruit:[1])

οὔ μέ τις ἐξ ὀρέων ἀποφώλιος ἀγροιώτης
αἱρήσει κλήθρην αἱρόμενος μακέλην
ἀλλ' ἐπέων εἰδὼς κόσμον καὶ πολλὰ μογήσας
μύθων παντοίων οἶμον ἐπιστάμενος.

Dici vix potest, quid interpretes sibi permiserint! *Nullus me rusticus tanquam alnum caedet, sed carminum ornatum intellegens atque multa perpessus, sermonum variorum rationem compertam habens; i. e. summo cum studio poesi litterisque incumbens immortalitatis gloriam consequar, sive in numero scriptorum classicorum collocabor* Bachius[2]) extricare ausus est et Horatianum illud de exacti monumenti perennitate contulit. Absurdius etiam, id si potest, fuerunt qui ad puellam aliquam[3]), alii, qui ad ipsum Philetam argumentum poematis referendum esse opinantes interpretatione allegorica abuterentur[4]). Nam sub alno (quae arbor est) celari puellam hi, illi carminis scriptorem edixerunt fortiter ac lepidum nescio quid non ratiocinando sed somniando invenerunt atque adeo inventis inaniter (quod mireris!) gloriati sunt. Observare nobis interdum videmur simpliciter poetarum dicta ab iis qui hodie sunt philologis fere sperni: altiora potius et obscura et aliena aucupantur cupide et, nisi facile reperiunt, audacter inferunt neque sustentant veritatem sed pessumdant. Quod idem multis nuper epigrammatis Alexandrinis factum est, imposuitque vel peritioribus harum litterarum existimatoribus novae rationis perversitas. Mnasalcas Arcas (*AP* IX 324) fistulam in Aphrodisio (nescimus quo) suspensam ita alloquitur demirans:

1) LXXXI 4 (III p. 109 Meineke).

2) *Philetae Hermesianactis Phanoclis reliquiae* p. 41 sq.

3) Reitzenstein *Epigramm und Skolion* p. 179: '*Die Verse gehören einer erotischen Erzählung an. Das Mädchen (?) sagt, dass es nicht von dem Bauertölpel, sondern von dem Dichter erobert werden will ... Notwendig (?) war es ein längeres Lied*'.

4) Cf. Bachii adnotationem *l. c.*

ἁ σῦριγξ, τί τοι ὧδε παρ' Ἀφρογένειαν ὄρουσας;
    τίπτ' ἀπὸ ποιμενίου χείλεος ὧδε πάρει;
οὔ τοι πρῶνες ἔθ' ὧδ' οὔτ' ἄγκεα, πάντα δ' Ἔρωτες
    καὶ Πόθος· ἁ δ' ἀγρία Μοῦσ' ἐν ὄρει νέμεται.

Cuius fistula fuerit pastoricia Veneri dicata, hodie ignoratur; Mnasalcam instrumenti musici possessorem novissimus sine ulla ratione voluit interpres[5]. Porro quod subesse idem ille odoratus est praeceptum poeticum 'ne quis in poesi aberrando titubaret', a nobis id quidem frustra quaesitum est. Sequatur alterum depravatae interpretationis exemplum. Praefixum antiquae Theocriteorum carminum syllogae olim hoc legebatur poematium:

ἄλλος ὁ Χῖος, ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδ' ἔγραψα,
    εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμι Συρηκοσίων,
υἱὸς Πραξαγόραο περικλειτῆς τε Φιλίννης.
    μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔτιν' ἐφειλκυσάμην.

Carmen illud esse alienum a Theocrito et spurium quod epigrammatographus ὀθνείην μοῦσαν nuncupat e contrario enuntiati membro (ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδ' ἔγραψα) certum est neque adhuc inventus, qui dubitando sollicitaret, donec his demum quibus nos vivimus annis quaesitoris argumenti cupiditas veram sententiae simplicitatem interfecit. 'Peregrinam' aiunt, non in Sicilia (unde erat Theocritus) ortam, indicari poesin ideoque Arcadiam Mnasalcae patriam oppositam fingunt et ὀθνείην μοῦσαν 'Arcadicam' intellegendam esse confidenter pronuntiant[6]. Ac serpsit malum et alia litterarum genera attrectare coepit. Nuntius is, quem in Alexandra Lycophro de fatidicae dictis referentem inducit, coniecturam si audis recens procusam, Lycophro est, Priamus vero Lycophroneus aevi Alexandrini rex aliquis: nam ignorare Alexandrinorum artem et artificia, si quis talia suo probare consensu nolit. Quanto de Lycophrone rectius Propertius (V 1. 51 sqq.)! Ipsum vero iam Theocritum ista ratio adeo corrupit, ut ne agnoscere quidem poetae faciem tibi videaris[7]. Sed his nugis omissis explicando succurrere Philetae malumus.

Alnus loquitur ipsa: recte ita Heinrichius et Iacobsius. Qui tamen poematis argumentum ceteroquin non assecuti mutilatum esse exitum censebant. Ita enim de se alnus: 'non rusticus me capiet alnum montanam rastrum tollere consuetus, sed qui poeticae arti deditus et contortam fabularum viam impenso studio persecutus sit'. Et quaerentes, cur alnum quis sive agrestis sive poeta manu prehensurus sit, primum loci cuiusdam Vergiliani in tempore meminimus, deinde re facile perspecta alia nonnulla sine mora addidimus exempla. In ecloga enim octava (16) canere *incumbens tereti Damon sic coepit olivae;* ἐπερεισάμενος τῇ βακτηρίᾳ bubulcus est apud Longum (II 4), πίνω δ' ἐν δορὶ κεκλιμένος de se, dum militat, Archilochus[8].

5) Reitzenstein p. 131.

6) Reitzenstein p. 132. Ceterum haec Theocritus personatus epigrammate XX Ahr. imitatus esse videtur:

ξεῖνε, Συρακόσιός τοι ἀνὴρ τόδ' ἐφίεται Ὄρθων·
    χειμερίας μεθύων μηδαμὰ νυκτὸς ἴοις.
καὶ γὰρ ἐγὼ τοιοῦτον ἔχον πόρον, ἀντὶ δὲ πολλᾶς
    πατρίδος ὀθνείαν κεῖμαι ἐφεσσάμενος.

7) Reitzenstein p. 228 sqq. *Deutsche Litt.-Zeitung* 1894 p. 327 sq.

8) Fr. 2 B. Carmen militis est in itinere morantis sarcina instructi:

ἐν δορὶ μέν μοι μᾶζα μεμαγμένη, ἐν δορὶ δ' οἶνος
    Ἰσμαρικός, πίνω δ' ἐν δορὶ κεκλιμένος.

Inter convivalia miro iudicio rettulit Reitzenstein p. 52. *Nixus in hastam* Statius *Theb.* V 19.

Olivam igitur Vergilius dicit ramum vel baculum potius oleaginum. Nihilosetius olivam indicari ipsam recens persistitur, errore tamen manifesto. Quidnam ad Vergilium versus Theocriteus (III 38) quem instant ἀσεῦμαι ποτὶ τὰν πίτυν ὧδ' ἀποκλινθείς? Qui tantum distat, ut magis non possit, ac fecit perperam qui a male intellecta sententia Vergiliana dissolvendae totius carminis compagis causam et rationem repeteret[9]. Ut vero Vergilius, ita omnino solebant veteres, solent hodierni. 'Fraxinum Peliacam' (Πηλιάδα μελίην), hastam fraxineam, Achilles gestabat, 'cerasum' (κράνειαν) cum alii tum Echecratidas miles Cretensis, cui Anyte poetria epigramma scripsit hastam Minervae dedicanti[10]:

ἕσταθι τᾷδε, κράνεια βροτοκτόνε, μηδ' ἔτι λυγρόν
    χάλκεον ἀμφ' ὄνυχα στάζε φόνον δαΐων·
ἀλλ' ἀνὰ μαρμάρεον δόμον ἡμένα αἰπὺν Ἀθάνας
    ἄγγελλ' ἀνορέαν Κρητὸς Ἐχεκρατίδα.

Idem argumentum eodem fere modo Nicias Milesius tractavit ac ne alloquenda quidem 'ceraso' (θοῦρι κράνεια) abstinuit et multo ante iam Simonides[11])

οὕτω τοι, μελία ταναά, ποτὶ κίονα μακρόν
    ἧσο, Πανομφαίῳ Ζηνὶ μένουσ' ἱερά·
ἤδη γὰρ χαλκός τε γέρων αὐτά τε τέτρυσαι
    πυκνὰ κραδαινομένα δαΐῳ ἐν πολέμῳ

ut pateat vulgatam in hoc genere fuisse totius pro parte significationem[12] nec posse ullo pacto (quemadmodum is fecit, qui in epigrammata Graeca infelici eruditione nuper inquisivit, vir perdoctus) licentiam culpari poeticam. *Pinus dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas Phasidos ad fluctus* Catullus pro navibus pineis in Epyllio. Figura omnium notissima.

Clavam, baculum in clavae crassitudinem inferius formatum, Philetae Theocritique socii habebant: ῥοικὰν δ' ἔχεν ἀγριελαίω δεξιτερᾷ κορύναν Lycidas in 'Thalysiis' (VII 18 sq.), quam ille daturum Simichidae victoriae reportandae praemium promittit (43 κορύναν δωρύττομαι) et donat etiam certamine patrato (128 ὃ δέ μοι τὸ λαγωβόλον ... ἐκ Μοισᾶν ξεινήιον ὤπασεν εἶμεν). Similiter pastor Vergilianus *Ecl.* V 88 sqq. pedum proposuit *formosum paribus nodis atque aere.* Quibus perpensis de poematio Philetae facile constabit: baculum ille dat fraxineum

9) In *Museo rhenano* XLVII p. 593 sqq. Vergilii 'Eclogas' docte et sagaciter sed turbulenter tractatas esse et vix adiutas magnopere dolemus. In prima quae numeratur non argumenti sed personae (Tityri) unitas deficit quodammodo, cum iudice vel scholiasta *sub persona Tityri Vergilium debeamus intellegere, non tamen ubique.* Poscit severus Vergilium interpres quae poeta praestare recusavit. Ceteris interpretationis erroribus (45 al.) emendandis vix pretium operae erit occupari: tam sunt aperti! Unum et simplex etiam nonum carmen dicimus, etsi non modo Menalcas, sed etiam Meliboeus habent quae ipsius Vergilii legentes admoneant. Octavae denique eclogae virtus ea contrariorum (ut ita dicam) intentione continetur, quam ille vituperat morose, ut apud Catullum est et Propertium.

10) *AP* VI 123 (Meineke *Delectus* p. 9).

11) *AP* VI 52. Nomen dedicantis olim extra versus fuisse adscriptum Bergkius vidit *FLG* III p. 495. Prorsus aliter Reitzenstein p. 124.

12) Similiter ponitur pro parte totum fr. 4 Philetae:

γηρύσαιτο δὲ νεβρὸς ἀπὸ ψυχὴν ὀλέσασα
    ὀξείης κάκτου τύμμα φυλαξαμένη.

Cum Philetas aetia physica elegiarum aliorumque carminum argumento inserere amaret — quo de amore in *Orpheo* nostro diximus p. 295 — de poemate divinare non debebat, quae divinavit, Reitzenstein p. 179. Eiusmodi ille sexcenta.

addito (in schedula, ut putamus) epigrammate vel paegnio potius. In quo eius qui accepturus est ipsum nomen quod desideratur, duae per se huius rei explicationes excogitari possunt, altera quidem improbabilis, altera veri consimilis admodum. Nam aut consulto nomen in ipso carmine omissum fuisse dixeris et extra versus primitus adiectum (quod tamen subtiles in hoc genere non solent poetae, velut Crinagoras), aut primitus utrobique defuisse omnino. Iam memineris quod diximus non in 'Epigrammatum' Philetae quae ferebatur collectione, sed inter 'Paegnia' olim lectum illud carmen fuisse: lusum igitur aliquem opperimur. Ne plura: carmen Philetae apophoretum est, qualia in duobus Martialis syllogae libris ultimis offeruntur. Sortiendis ista singulis donariis destinata erant, ut simul schedulas amici acciperent. Velut de venabulis 'lusit' Martialis — ut ipsius dictione utamur (XIV 30) —

Excipient apros expectabuntque leones,
intrabunt ursas, sit modo firma manus

de cultro venatorio (31)

Si deiecta gemes longo venabula rostro,
hic brevis ingentem cominus ibit aprum

de parazonio (32)

Militiae decus hoc gratique erit omen honoris,
arma tribunicium cingere digna latus

de falce (34)

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus:
agricolae nunc sum, militis ante fui.

Suppetunt plura nobis illius modi sortitionis poeticae testimonia. Heliogabalus imperator sortes convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exierit 'decem camelos', alius 'decem muscas', alius 'decem libras auri', alius 'decem plumbi' et quae sunt similia [13]). Trimalchionis convivis pittacia in scypho circumferre ministri coeperunt puerque super hoc positus officium apophoreta recitavit [14]). Sortitione igitur in sodalicio instituta baculo fraxineo, quod erat pro donario, ludibundus paegnium illud Philetas addiderat: unde morem illum iam apud Graecos floruisse apparet. Poetarum enim insigne baculum. Utuntur Stesichorus et Alcaeus monumentis expressi; rhapsodorum nomen qui a *ῥάβδου* derivabant, ii baculum rhapsodos gestasse cognoverant. Adde quod Philetae sodales non modo ut poetae sed ut pastores personati instrumento pastoricio commode armati incedebant.

Rusticum rastro instructum dicit stupidum Philetas (*ἀποφώλιον* idem esse ac *παράμουσον* veteres iudicabant) neque urbano homini [15]) sed 'docto' tantum opponit poetae. Quod idem non modo Tibullus (I 10, 51 sqq.) sed partim e Tibullo Propertius (II 5, 25 sq.):

Rusticus haec aliquis tam turpia praelia quaerat,
cuius non hederae circuiere caput.

ἐπέων κόσμος Soloneum (fr. 1 B.). Structuram autem curantes verba ***ἀλλ' ἐπέων εἰδὼς κόσμον καὶ πολλὰ μογήσας μύθων παντοίων οἶμον ἐπιστάμενος*** ita ordinamus, ut ***πολλὰ μογήσας*** rationem collectae variae illius scientiae fabularis reddat, quippe quae studio et labore

13) Scriptores historiae augustae p. 217 Peter.
14) Petronius c. 56. Cf. Friedlaenderi notata ad Martialem II p. 295.
15) Sappho fr. 20 ad puellam a se amatam de aemula: *τίς δ' ἀγροιῶτίς τοι θέλγει νόον οὐκ ἐπισταμένα βράκε' ἕλκην ἐπὶ σφυρῶν;*

pariatur [16]). Ipsius meminimus Philetae quem ridebant qui non intellegerent et ludificabantur [17]):

ξεῖνε, Φιλητᾶς εἰμι. λόγων ὁ ψευδόμενός με
ὤλεσε καὶ νυκτῶν φροντίδες ἑσπέριοι.

II.

Componenti cum errorum Cereris narratione Homerica ea, quae in hymno IV traditur, Ovidii Fastos (IV 417—624) id maxime patet interesse, quod regiam Eleusiniorum domum vitamque hymnographus, agrestem et pauperem et desertam Ovidius descripsit. Et hic quidem ita:

Fors sua cuique loco est. Quo nunc Cerealis Eleusin,
dicitur hoc Celei rura fuisse senis.
Ille domum glandes excussaque mora rubetis
portat et arsuris arida ligna focis.
Filia parva duas redigebat monte capellas,
et tener in cunis filius aeger erat.
'Mater' ait virgo — mota est dea nomine matris —
'quid facis in solis incomitata locis?'
Restitit et senior, quamvis onus urget, et orat,
tecta suae subeat quantulacunque casae.
Illa negat (simularat anum mitraque capillos
presserat), instanti talia dicta refert:
'sospes eas semperque parens! Mihi filia rapta est.
Heu melior quanto sors tua sorte mea est!'
Dixit; et ut lacrimae (neque enim lacrimare deorum est)
decidit in tepidos lucida gutta sinus.
Flent pariter molles animis virgoque senexque;
e quibus haec iusti verba fuere senis:
'sic tibi, quam raptam quereris, sit filia sospes:
surge nec exiguae despice tecta casae'.
Cui dea 'duc!' inquit 'scisti, qua cogere posses'
seque levat saxo subsequiturque senem.
Dux comiti narrat, quam sit sibi filius aeger
nec capiat somnos invigiletque malis.
Illa soporiferum parvos initura penates
colligit agresti lene papaver humo.
Dum legit, oblito fertur gustasse palato
longamque imprudens exsoluisse famem.
Quae quia principio posuit ieiunia noctis,
tempus habent mystae sidera visa cibi.

16) De Hesiodo Hermesianax in Leontio similiter (Athenaeus XIII p. 597 C):
ἔνθεν ὅ γ' Ἠοίην μνώμενος Ἀσκραΐκὴν
πόλλ' ἔπαθεν. πάσας δὲ λόγων ἀνεγράψατο βίβλους:
ubi imperite Bachius (p. 131) *ἔμαθεν* maluit.
17) Athenaeus IX p. 401 E.

Rusticitatem fabulae tenemus: apte Hecalam Callimachi contuleris. Accedit aetiorum studium ab Ovidio in fine eius, quam adscripsimus, particulae verbis significatum apertis, alibi occultum. Anum dea simulaverat, gestabat mitram et papaver. Quas res altius esse repetendas cognovimus, cum Callimacheum in Cererem hymnum reminisceremur[1], et sacrificulam deae repraesentari vidimus aetate provectam corollas et papaver manu solemniter tenentem. Patet indidem rusticam fabulae et aetiologicam rationem inter se conexas esse, et pro certo dicendum est hanc descriptionis partem et si quae ab illa divelli nequeunt aliunde Ovidium hausisse. Aetia vero per totam de Cerere et Proserpina narrationem dispersa sunt: quae auctori Ovidii omnia reddimus necessario. Ad Hennam Siculorum Ceres filiam quaeritans (463 sqq.)

puellaris nacta est vestigia plantae
et pressam noto pondere vidit humum.
Forsitan illa dies erroris summa fuisset,
si non turbassent signa reperta sues.

Sues Cereri immolabantur: *αἴτιον* intellegis quale ab hirci in religione Bacchica sacrificio Eratosthenes Erigonae historiam et fata persequendo repetivit. Versu 503 sq. Ceres in finibus Atticis

primum sedit gelido maestissima saxo:
illud Cecropidae nunc quoque 'triste' vocant.

λίθον ἀγέλαστον (*λυπηρόν*) dicit e fonte suo Ovidius! Ineunte nocte (535 sq.) ieiunium Eleusine Ceres deposuit: *tempus habent mystae sidera visa cibi.* Item de Cerere Callimachus (de quo videbimus inferius); item apud gentes quasdam orientales de capiendis post ieiunium cibariis etiam nunc statuitur, ut Turcos[2]). Ad Aetnae usque verticem dea venerat quaesitura (493 sqq.);

illic accendit geminas pro lampade pinus:
hinc Cereris sacris nunc quoque taeda datur.

Cereris currum draconibus trahi notum est. Quos tunc primum iugo coegisse deam Ovidius exponit, cum ei peragrata Sicilia iam mare superandum esset (495 sqq. 561). Haec satis sunto aetiorum opera dedita conquisitorum exempla.

Porro hymnum Cereris Homericum in usum suum Ovidianae narrationis auctor convertit. Unum commemorabimus. Solem et Hecaten quasi noctis deam Ceres adiisse fertur, num filiam vidissent, interrogatura: apud Ovidium Solis quidem persona iterata est, sed pro Hecate apparet Helice, quae Ursae maioris sidus, non occidens illud, quasi speculatrix nocturna occupasse dicebatur (vide quae de astris hominum custodibus in *Orpheo* scripsimus accuratius p. 259 sq.). Inveniuntur vero etiam in Homerica descriptione et in Ovidiana quae differant nonnulla. Novem dies noctesque Graeciam dea pererrat Homerica, Ovidiana Ceres per totum terrarum orbem migrat desperans. Sublatam prisci poetae simplicitatem sentimus eo consilio, ut excurrendi facultas ad geographica quaedam daretur. Novit novum illud et auxit Callimachus in Cereris hymno (VI 10 sqq.) numero singulari in ternarium converso:

1) V. 40 sqq.:

αἴσθετο Δαμάτηρ, ὅτι οἱ ξύλον ἱερὸν ἄλγει . . .
αὐτίκα Νικίππαι, τάν οἱ πόλις ἀράτειραν
δαμοσίαν ἔστασαν, ἐείσατο, γέντο δὲ χειρὶ
στέμματα καὶ μάκωνα, κατωμαδίαν δ' ἔχε κλᾶιδα.

2) Cf. G. Jacob *Der Fastenmonat Ramasan* (Berlin 1895).

πότνια, πῶς σ' ἐδύναντο πόδες φέρεν ἔστ' ἐπὶ δυθμάς,
ἔστ' ἐπὶ τὼς μέλανας καὶ ὅπα τὰ χρύσεα μᾶλα;
οὐ πίες οὔτ' ἄρ' ἔδες τῆνον χρόνον οὐδὲ λοέσσα.
τρὶς μὲν δὴ διέβας Ἀχελώιον ἀργυροδίναν,
τοσσάκι δ' ἀενάων ποταμῶν ἐπέρασας ἕκαστον,
τρὶς δ' ἐπὶ καλλι . . . .
αὐσταλέα ἄποτός τε καὶ οὐ φάγες οὐδὲ λοέσσα.

Idem Callimachus eodem carmine illud de mystarum ieiunio *αἴτιον* tetigit tanquam notum, quod ex Ovidio supra attulimus (7 sqq.):

Ἕσπερος ἐκ νεφέων ἐσκέψατο (πανίκα νεῖται;),
Ἕσπερος, ὅστε πιεῖν Δαμάτερα μῶνος ἔπεισεν,
ἁρπαγίμας ὄκ' ἄπυστα μετέστιχεν ἴχνια κώρας.

'Cererem' distichis scripserat Philetas. Quem errores deae et errandi causam ac finem complexum fuisse e duabus carminis reliquiis consectarium est. Fr. 3[3])

νῦν δ' αἰεὶ πέσσω, τὸ δ' ἀέξεται ἄλλο νεωρές
πῆμα· κακοῦ δ' οὔπω γίγνεται ἡσυχίη

Ceres est, quae dolorem sempiternum concoquit nec malorum quietem nanciscitur et fata enarrat et sua et filiae iis, apud quos tandem simulata anu devertitur, hospitibus nimirum Eleusiniis. Item Ovidiana fabula (519 sqq.). Celeo enim quid faciat *in solis incomitata locis* sciscitanti haec inter viam dea respondet:

Sospes eas semperque parens! Mihi filia rapta est.
Heu, melior quanto sors tua sorte mea est!

Respondisse Celeum solaturum probabile. Ac fuisse in responsis haec (fr. 1. 2)[4])

ἀλλ' ὅτ' ἐπὶ χρόνος ἔλθῃ, ὃς ἐκ Διὸς ἄλγεα πέσσειν
ἔλλαχε, καὶ πενθέων φάρμακα μοῦνος ἔχει·
καὶ γάρ τις μελέοιο χορεσσάμενος κλαυθμοῖο
κήδεα δειλαίων εἷλεν ἀπὸ πραπίδων,

ex iterato *ἄλγεα πέσσειν* (quod Homeri Niobe suppeditavit: *θεῶν ἐκ κήδεα πέσσει* **Ω** 617) sponte colligitur.

Tantum de 'Fastis'. 'Metamorphoseon' libro quinto iterum de raptu Proserpinae narratiunculam Ovidius inseruit vix diversam, sed multifariam copiosiorem. Auguramur hinc ea, quae Philetae carmini e 'Fastis' retribuimus, suppleri, sed demonstrari in hac re vix quicquam posse putamus[5]).

3) Cf. Stobaeus *Floril.* IV p. 15 Meineke (*Φιλητᾶ Δήμητρος*).

4) *Ibidem* p. 132. Disticha coniunximus in Stobaeo separata.

5) Arethusam memoravit poeta anonymus fr. 320 Schn. *Ὑπερηϊάδος Ἀρεθούσης.* Item Ovidius *Metam.* V 409 sqq. Fr. an. 94 *θοῇ δ' ὑπεδέξατο Γαῖα* cum Ovidii versibus 423 sq. copulaveris:

Icta viam Tellus in Tartara fecit
et pronos currus medio cratere recepit.

Stephanus Byz. *s. v.* *Φλιοῦς* e Phileta hoc profert distichum:

Φλιοῦς γὰρ πόλις ἐστί, Διωνύσου φίλος υἱός
Φλίας ἣν αὐτὸς δείματο λευκόλοφον.

Cum Dysaules Celei frater Phliasiam Cereris religionem condidisse crederetur, fieri potuit, ut de rebus Phliasiis Philetas in 'Cerere' nonnulla exponeret. — Denique fr. 13 Philetae (Stob. *Flor.* IV p. 15 M.) *πτοιοῦμαι πολέων γαίης ὕπερ ἠδὲ θαλάσσης κτλ.* quo spectet nescimus.

'Cereris adventum' ab Eleusiniorum religione et mysteriis ne Philetam quidem seiunxisse vel inde concludimus, quod dea Eleusinia apud Coos quoque insigni honore colebatur[6]). Orphicum Philetae carmen in *Orpheo* nostro (V 3) e Vergilio aliisque nuper restituere conati sumus. Oblivisci poetarum Alexandrinorum explicatores solent, non solummodo poetas sed homines et Graecos illos fuisse inter Graecos sive Graecos inter barbarosque. Planum hoc in Callimacho, cuius cum alii hymni tum sextus qui numeratur in Cererem superest. Alterum Callimachi de eadem dea carmen deperditum quid voluerit e tribus reliquiis (146 a—c) ab Hephaestione eum ad finem, ut metri Archebulii formas describeret, servatis disci potest. En versus:

ἀγέτω θεός· οὐ γὰρ ἐγὼ δίχα τῶδ' ἀείδειν. —
νύμφα, σὺ μὲν ἀστερίαν ὑπ' ἅμαξαν ἤδη. —
φιλωτέρα ἄρτι γά οἱ Σικελὰ μὲν Ἕννα.

Fuerunt, qui verba *ἀστερίαν ὑπ' ἅμαξαν* in dubium vocare mallent quam intellegere, a Schneidero enumerati. Verum expedita res est, modo Cererem subter 'Plaustrum' stellatum, quod alii 'Ursam maiorem' appellabant, in Virginis sidere[7]) ab astronomis indagatam esse attendas. Addimus alterum e Callimacho exemplum. **Ἰοῦς ἄφιξις** a Callimacho scripta ferebatur[8]). Cui cum Io esset eadem atque Isis Aegyptia[9]), conveniunt in istam **Ἰοῦς ἄφιξιν** quae Plutarchus de Isidis cultu memoriae tradidit: **διὸ καὶ θύοντες ἑβδόμῃ τοῦ Τυβὶ μηνός, ἣν καλοῦσιν "ἄφιξιν Ἴσιδος" ἐκ Φοινίκης, ἐπιπλάττουσι τοῖς ποπάνοις ἵππον ποτάμιον δεδεμένον**[10]). Ab Ius die festo cum Iside confusae carmini Callimacheo nomen inditum est[11]).

6) Dibbelt *Quaestiones Coae myth.* p. 21.

7) Ps.-Eratosthenis Catasterismi IX (p. 84 R.) *λέγονται δὲ καὶ ἕτεροι λόγοι περὶ αὐτῆς πλεῖστοι· οἱ μὲν γὰρ αὐτήν φασιν εἶναι Δήμητρα διὰ τὸ ἔχειν στάχυν, οἱ δὲ Ἶσιν κτλ.*

8) Suidas *s. v. Καλλ.*

9) Epigr. CVII *Ἰναχίης—Ἴσιδος* (unde carminis Philis reperti scriptor 981 Kaib.: *Ἴσιδος Ἰναχίης γαῖαν ἐποψόμενοι κτλ.*).

10) *De Iside* 50.

11) A Callimacho pendent fortasse Ovidius (cf. *Metam.* I 747 *nunc dea linigera colitur celeberrima turba*) et Propertius III 33, 1 sqq. (28, 17 sq. 61):

Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis:
Cynthia iam noctes est operata decem.
Atque utinam pereat Nilo quae sacra tepente
misit matronis Inachis Ausoniis.

Singillatim Callimachea vix certo agnosci poterunt obstante altera de Ius fatis fabula Alexandrina et fortasse etiam tertia. Primum vide ea, quae *Comm. myth.* II nuper de lapide Andrio disputavimus p. XII. Deinde Nonnus Cupidinem induxit duodecim sagittas in Iovem iacientem, ut Ius Europae Plutus Danaae Semelae Aeginae Antiopae Ledae Diae Alcmenae Laodamiae Olympiadis amore inflammaretur (Koehler *Die Dionysiaca des Nonnos* p. 15 sq.). Denique Westermannus (*Myth. gr.* p. 373) de Ione narrationem Severi rhetoris edidit valde quidem corruptam sed emendabilem. Adscribimus novam excerpti recensionem a nobis 'Geoponicorum' ope confectam (XI 22):

ἴον τὸ ἄνθος ἐξ ἧς ὀνομάζεται γέγονεν. ἤρα μὲν γὰρ ὁ Ζεὺς τῆς Ἰοῦς, ἐρῶν δὲ ἐπλησίαζε καὶ συνὼν λαθεῖν[1] ἐπειρᾶτο τὴν Ἥραν καὶ τὸν ἔλεγχον μεταβολήν τε[2] ἐποιεῖτο τῆς φύσεως· ἁλοὺς γὰρ ὁ Ζεὺς[3] καὶ τὸ γεγονὸς ὑποκλέψαι ζητῶν[4] εἰς βοῦν μεταβάλλει τὴν ἄνθρωπον. τιμῶσα δὲ ἡ Γῆ τὴν τοῦ Διὸς ἐρωμένην[5] ἄνθος ἀνῆκε τῇ βοΐ[6] νέμεσθαι, καὶ γεγονὸς δι' αὐτὴν ἐξ αὐτῆς ὀνομάζεται καὶ δηλοῖ τῆς κόρης τὰς τύχας τοῖς χρώμασιν· ἐρυθραίνεται μὲν γὰρ οἷα[7] παρθένος, πορφύρεται δὲ οἷα βοῦς, λευκαίνεται δὲ δηλοῦν[8] τὴν εἰς ἄστρα τῆς κόρης[9] μεταβολήν. ὅσα τε βλαστήματα[10] φαίνεται, γέγονεν ἡ γυνή[11].

[1] *καὶ συλλαθεῖν ἐπ.* Geop | [2] *τε* om Sev | [3] *ἁλοὺς γὰρ ὁ Ζεὺς* om Sev | [4] *δοκῶν* Sev | [5] *τὴν ἐρ. τ. Δ.* Geop | [6] *τὴν βοῦν* Geop | [7] *οἷάπερ π.* Geop | [8] *καὶ λευκ. δηλ.* Geop | [9] *τ. ἐν ἄνθεσι τῆς κ.* Sev | [10] *ὅσα τὸ βλάστημα* Geop | [11] *γέγονε γηγενῆ* Sev.

III.

Propertius (III 34, 31 sqq.) Lynceum amicum, Ponticum personatum[1]), a gravioribus poeseos generibus ad Alexandrinorum subtilitatem imitandam ita cohortatus est, ut utriusque artis exempla nonnulla adferret idonea. Et de Alexandrinis ille quidem ita:

Tu satius[2]) *Meropem musis imitere Philetam*
et non inflati somnia Callimachi:
iam cursus (licet) Aetoli referas Acheloi,
fluxerit ut magno fractus amore liquor,
atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
errat et ipsa suas decipit unda vias,
qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion
tristis ad Archemori funera victor equus.

Multum hi versus interpretes et editores vel prudentissimos torserunt. Percepisse nullusdum videtur criticus nihil proferri nisi argumentorum e Callimacho et Phileta sumptorum triada. Quae res semel monita tam est luculenta, ut verbis parcere malimus. Itaque tandem ordinata oratione *licet* interiectae vocis instar[3]) habuimus morem Propertii secuti uncisque includendum curavimus et *iam* ab Italis scriptum pro causali, quae codicibus traditur, coniunctione *nam* recipere placuit nobis sententiam enuntiatorum declaraturis. Aditum aperuimus ad recuperandam carminum quorundam Alexandrinorum notitiam. Agedum iter coeptum sedulo persequamur. Nam scitu dignum est profecto, quod ostendimus materiam istam argumenti poetici tripertitam inter Callimachum esse et Philetam dispertiendam, sed non sufficit solum illud scivisse. Quantum sit ex ista Callimachi proprium, quid Philetae reddendum cum e dictis Propertii hodie colligi nequeat, perculiari quaestione nobis, si potest, efficiendum est. Iam vero Philetae paene nullae supersunt reliquiae, larga restat fragmentorum Callimacheorum suppellex. Quam pervestigavimus, ut exemplorum a Propertio compositorum quae habuisset Callimachus cognosceretur. Primus igitur Achelous est Deianiram periens ab Hercule victus sive a Callimacho sive a Phileta descriptus. Cuius argumenti vestigium certum patet apud Callimachum fr. 249 *θηρὸς ἐρωήσας ὀλοὸν κέρας* non addita sententiae significatione, nisi quod ultro fabulam persentiscis. *ἐρωήσας* valere *εἰς τὴν ἔραν καταγαγών* Etymologus, *κατεάξας* vel *μειώσας* Suidas (nescimus unde) indicarunt. Attendas vero unius cornu, non utriusque, men-

Sidera Ius Virgo (vide adn. 7) et Taurus habenda sunt (Catast. XIV p. 106 R.). Summarium carminis astronomici tenemus Ovidio noti (*Fast.* IV 619 sq.).

1) 'Lynceus' personatus 'Thebaidem' iam scripserat (39 sq.):

Non magna Amphiaraëae prosunt tibi fata
quadrigae aut Capanei grata ruina Iovi.

Item Ponticus. Hic, cum carmen I 7 conficeret Propertius, amore puellarum erat intactus, Lynceus 'seros insanisse amores' dicitur. Recte igitur Lynceum esse ipsum Ponticum nobis concludere videmur (contra Hertzbergium I p. 20). Iam cur 'Lyncei' nomen ille habeat, fortasse e versibus 41 sq. elucebit:

Desine et Aeschyleo componere verba cothurno,
desine et ad molles membra resolve choros.

Fac Ponticum 'Hypermestram' scripsisse Aeschyli exemplo: Lynceum illum causa eadem, qua Demophontem Tuscum 'Phyllidis' poetam, appellatum esse facile nobis fingimus. [Birt *Mus. rhen.* 1877 p. 413].

2) Cf. Cicero *Ad Atticum* IV 16, 3: *Multo ego satius hoc mihi cavendum putari in Scaevola* etc. Male *potius* Ernesti; male etiam ii, qui corruptelam in Cicerone odorati sunt.

3) Exempla vide apud Hertzbergium (II p. 227), qui tamen structuram versus non intellexit.

tionem inici: unde neque ad Marathonium taurum neque ad ullum alium eorum, qui cornibus depressis ab heroibus necati feruntur, versum Callimachi referendum esse sequitur [4]). Callimacho Ovidius succurrit: modo legas quae Achelous ab Hercule subactus ipse hospitibus quibusdam de certamine narravit: [5])

Sic quoque devicto restabat tertia tauri
forma trucis: tauro mutatus membra rebello.
Induit ille toris a laeva parte lacertos
admissumque trahens sequitur depressaque dura
cornua figit humo meque alta sternit harena.
Nec satis hoc fuerat; rigidum fera dextera cornu
dum tenet, infregit truncaque a fronte revellit.
Naides hoc pomis et odoro flore repletum
sacrarunt, divesque meo 'bona copia' cornu est.

Acheloi alterum cornu Hercules humo depressum fregisse a Callimacho dicitur: sic Nympharum 'copiae cornu' evasisse. *Αἴτιον* narrationis Callimacheae tenemus, et *αἴτια* Callimachi se spectare nuntiaverat Propertius. Ergo trium illorum Propertii exemplorum certe primum censendum est Callimacheum.

Tertium ad exequias a septem heroibus Thebas oppugnaturis Archemoro actas pertinet, e quibus Ario, Adrasti equus vocalis, currendo victor discessit. Et quoniam cum Archemori memoria Nemeorum ludorum initia coniuncta sunt arctissime, iterum attingi Callimacheum argumentum aetiologicum non conicimus sed demonstrari posse putamus. Traditur versus quidam Callimacheus in scholio Pindari *Olymp.* VIII 21: *ἡ Ὀλυμπία καὶ ἡ Νεμέα Διός. καὶ Καλλίμαχός φησιν* (fr. 193 Schn.):

"*Ζηνί τε καὶ Νεμέῃ τι χαρίσιον ἕδνον ὀφείλω.*"

Iovi igitur Nemeaeo donum promittit gratias accepti beneficii acturus nescimus quis, ludos scilicet isti potissimum deo institutos, quemadmodum rectissime suppleverunt versus illius explicatores. Verum immerito de Hercule ludorum post leonem Nemeae victum conditore iidem cogitabant. Qui ludos mortuo Archemoro Iovi celebrarent, septem heroes apud Callimachum fuisse adhibitus iamiam Propertius ostendit. Unum hoc disceptabile, quis loquens versu Callimacheo inductus sit. Poetam ipsum negamus, quoniam grati erga Iovem Nemeamque animi nullam nobis fingimus rationem aliquatenus probabilem. Ista tandem abstinendum est explicatione et aliud quid circumspiciendum verisimilius. Invenitur vero, quo aptius nequeat, in Statii 'Thebaide' (IV 824—843):

Atque aliquis [6]) *regum medio circumfluus amni:*
"*silvarum, Nemee, longe regina virentum,*

---

4) Catullum LXIV 110 sq.

Sic domito saevum prostravit corpore Theseus
nequiquam vanis iactantem cornua ventis

(fr. an. 389 Schn. *πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα* [Cic. *Ad Att.* VIII 5, 1]) non ad 'H calam' Callimacheam revocare licet, quemadmodum statuunt interpretes.

5) *Metam.* IX 81 sqq.

6) Consolatio ad Liviam 191 sq.:

Atque aliquis de plebe pius pro paupere nato
sustulerat timidas sidera ad alta manus.

lecta Iovi sedes, quae tum non Herculis actis
dura magis, rabidi cum colla minantia monstri
angeret et tumidos animam angustaret in artus:
hac saevisse tenus populorum incepta tuorum
sufficiat; tuque, o cunctis insuete domari
solibus aeternae largitor corniger [7]) *undae,*
laetus eas, quacunque domo gelida ora resolvis
immortale tumens: neque enim tibi cana repostas
bruma nives ratasque alio de fonte refundit
arcus aquas gravidive indulgent nubila cauri,
sed tuus, et nulli ruis expugnabilis astro.
Te nec Apollineus Ladon nec Xanthus uterque
Sperchiusque minax Centaureusque Lycormas
praestiterint: tu pace mihi, tu nube sub ipsa
armorum festasque super celebrabere mensas.
Ab Iove primus honos: bellis modo laetus ovantes
accipias, fessisque libens iterum hospita pandas
flumina defensasque velis agnoscere turmas."

---

7) Corniger pro fluvii vel fontis deo dictum poetice, ut idem pro ariete vel haedo, ut furcifer pro servo, Caducifer pro Mercurio (Ov. *Fast.* IV 605), laniger pro ovi (Manil. II 439), sonipes et cornipes pro equo (Statius *Theb.* V 3 VIII 157: omnino Statius eiusmodi exemplis abundat), alia. Quae non adposuissemus, nisi rem apertam doctissimi quidam interpretes mutando in Culicis versu 15 abstulissent. Ubi *decus astrigeri* (ita cum alii tum Bembi codex optimus) Apollinis sedes vocatur, sol nimirum, caeli lxcidissimum sidus, quoniam volgari Romanorum tunc temporis opinione (non Graecorum, unde ex. gr. pendet Catullus LXIV 298 sqq.) cum sole Apollo, Diana cum luna confundebantur. Ipse Culex 372 sqq.:

Ego Ditis opacos
cogor adire lacus viduos (a) lumine Phoebi
et vastum Phlegethonta pati, quo, maxime Minos,
conscelerata pia discernis vincula sede.

Astriferos axes Statius *Theb.* VIII 83. Omnino cavendum in Culice est, ne a traditis discedas criticam facturus. Velut Leo fecit rectissime, quod in v. 262 sqq inferos describentibus

Alcestis ab omni
inviolata vacat cura, quod saeva mariti
in Chalcodoniis Admeti cura morata est

cura alterum emendando tollere noluit, male alii, quod *fata* restituebant. Nos 'Curam' deam intellegimus (de qua *Orpheum* nostrum p. 220 sq. inspicias) et *maritum — Admetum* reficimus nec distare lusum verbalem (*cura — Cura*) a puerili scriptoris ingenio existimamus. Ceterum priore isto loco Culex Horatium expressit carmen saeculare ita incohantem:

Phoebe silvarumque potens Diana,
lucidum caeli decus, o colendi
semper et culti.

Corruit igitur *Asteriae* pro *astrigeri* Hauptianum a multis immodice collaudatum (suapte enim natura hoc quidem loco perversum esset collatis versibus 11. 18) veritate iamiam reperta. — Simili licentia poetica Arcturum (Booten) Heraclitus *Οὖρον αἰθρίου Διός* vocavit fr. XXX Byw. 'custodem caeli' vel earum, quae in caelo sunt, stellarum (quae plurimae *κατ' ἠέρα βουκολέονται* Callim. *In Delum* 76). Nam errasse dudum perspeximus Teichmüllerum *Neue Studien* I p. 14, Gomperzium *Relat. acad. Vindob.* 1886 p. 1047, Patonium *Progr. Monac.* 1885 p. 36[1], Max. Müllerum *Vorlesungen über die Wiss. der Sprache* II[2] p. 397, alios multos. *ἁ τᾶς σφαίρας ὁλκάς* de sideribus (*οὐρανῷ ἕλκονται* Arat. 20) poetice Philolaus Stob. p. 18 W.

Arbitramur non 'aliquem' e Septem illis, ut apud Statium est dictionis Homericae hac in re imitatorem (ὧδε δέ τις εἴπεσκεν), sed ducem ipsum Adrastum versiculum istum Callimacheum et quae sequerentur pronuntiasse, praesertim cum quae laudatur aqua Nemeaea nomen ab Adrasto tanquam repertore apud testes quosdam accepisse feratur [8]). Singula Statiana non praestamus nec moramur nunc quidem diutius.

Restant Propertii versus 35 sq.:

atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
errat et ipsa suas decipit unda vias.

Phrygiae fabulae argumentum unus divinando assecutus est ex epistula Ovidiana IX 53 sqq. Hertzbergius (I p. 197). Scribit ibi ad Herculem Deianira:

Una, recens crimen, referetur adultera nobis,
unde ego sum Lydo facta noverca Lamo.
Maeandros, terris totiens errator in isdem,
qui lassas in se saepe retorquet aquas,
vidit in Herculeo suspensa monilia collo,
illo, cui caelum sarcina parva fuit.
Non puduit fortis auro cohibere lacertos
et solidis gemmas opposuisse toris.

Omphalae et Herculis amorem e longinquo ex alteroutro poeta, sive Callimacho seu Phileta, Propertius commemoravit. Nos praeoptandum Philetam ducimus, quippe cuius unum certe exspectemus e tribus esse argumentum poeticum necessario. Hinc de Philetae 'Omphale', nisi egregie fallimur ratiocinando, in universum constabit. Servientem igitur cupidae mulieri Herculem ita Philetas descripserat, ut ad ostenta quaedam naturalia, qualis flexus est Maeander, exspatiaretur: περίεργος γὰρ ἐν τούτοις de illo Antigonus Carystius (*Orpheus* p. 295). Neque solus ita nec primus poetarum Philetas. Qua de re possunt nonnulla doceri scitu haud indigna, sed unum nunc quidem delibasse satis habebimus. In Anacreontis elegia versiculos aliquot de caelo stellato lectos fuisse Hyginus tradidit testis locuples in *Astronomia* p. 42: *Hac etiam de causa nonnulli Lyram, quae proxima ei signo* (Ingeniculo) *est collocata, Thesei esse dixerunt, quod ut eruditus omni genere artium lyram quoque didicisse videbatur. Idque et Anacreon dicit:*

ἀγχοῦ δ' Αἰγείδεω Θησέος ἐστὶ Λύρη.

Ingeniculo proximum videri Lyrae sidus quodsi Anacreo dixit, particulam certe caeli descriptam oblata opportunitate, aliud dum agit, breviter exhibuisse in elegia ista est putandus. Id cum abhorrens si minus a saeculo attamen a Tei poetae studiis sibi videretur, mera Meinekius coniectura alterum quendam Anacreontem ab Hygino significari Alexandrinorum aequalem statuit immerito et alios etiam ac ipsos nos in erroris communionem seduxit [9]). Adiutore Phileta sponte haec hodie corriguntur, correcta facient fortasse, ut descriptivae quam vocant elegiae non demum ab Alexandrinis sed iam a Critia aliisque excultae origo et incrementa quadamtenus cognoscantur.

Marpurgi, Kal. Iun. 1895.

---

8) Pausanias II 16, 3. 'Langia' est apud Statium.
9) *Aratea* nostra p. 150.